

16.12.20
b. Quirat I
dancm.
ceptra
w. m. 3

lētās gāmēs
lētās dō dūt d
lētāe. - lētā i u
lētā. lētā dō Cō
lētā. lētā hālōn.

lētār wōde tālētēo

lētār dō hālōn. lētā dō hālōn.

lētār dō dētēlētēo
lētār dō dētēlētēo
lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

lētār dō dētēlētēo

TONUS XXXXIV.
MISCELLANORUM.

~~G.M.B.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VII-45. —
SIGNAT. CCCXIII.

6 böse:

THESES THEOLOGICÆ,
DE
IVSTIFICATI-
TIONE HOMI-
NIS CORAM DEO.

QVAS
Deo fauente,

PRÆSIDE REVERENDO ET
CLARISSIMO VIRO, DANIELE TOSSANO,
S. Theologia Doctore & Professore, in celeberrima
Academia Heidelbergensi,

Disputandas proponit
CONRADVS VORST
AGRIPPINENSIS.

In Auditorio Theologico a. d. XI.
Maij, horis matutinis.



HEIDELBERGÆ,
TYPIS SMESMANNIANIS.
ANNO CLO IO XCV.

AMPLISSIMO VIRO, GVIL-
HELMO HAICKSTEIN, I. V. DO-
CTORI ET REIPVBL. A GRIPPI-
nensis Syndico clarissimo: affini
meo obseruando S. D.

MEMINISSE potes, vir amplissime, annum iam quintum
agi, ex quo philosophicas theses, leuem ingenij nostri
fœtum, tuo nomini dicau: quia videbatur id à me requirere
nostræ ius affinitatis, & tua satis spectata virtus. Nunc iisdem
caussis impulsus, theologicas theses de nostri iustificatione ti-
bi inscribo. Eas tu, scio, accipies animo humano & Christia-
no: & pro ingenij tui acrimonia diligenter ac piè examinabis.
Nosti enim,istarum rerum cognitionem, et si non æqualem
in omnibus, sufficientem tamen ab omnibus fidelibus requi-
ri. Cognitionem autem & Iudicium ad Normam Verbi Dei
formabis: nam sine hac lege nos loqui erubescimus, ut vester
Vlpianus de Iurisconsultis & legibus ciuilibus rectè prodidit.
Non sumo, inquires, mihi iudicium de rebus istis. Hoc mu-
nus est Catholicæ Ecclesiæ, quam audio & obseruo. Et nos
eam, charissime Affinis, audimus & obseruamus: sed ipsam
quoque scimus audire & obseruare vocem sui Sponsi: adeo
ut iudicium Ecclesiæ Catholicæ à voce Christi, in sacris illis
tabulis resonante, discrepare non possit. Quare te per Deum
obtestor, vt positis præiudiciis, de hac controuersia piè &
prudenter iudices: & si quod erratum meum notaueris, id
censoria virgula perstringas: sin veram ex fonte veritatis hau-
stam doctrinam hic deprehenderis, eam cupido animo no-
biscum amplectaris: nec committas, vt transuersum te abri-
piant sibila calumniantium, quales apud vos nimium multi.
Deum precor, vt te, nostræ ciuitatis bono, diu seruet incolu-
mem. Vale. Heidelbergâ Calendis Maij Anni à virginœ
partu ∞. 10. XCIV.

Quite & bonos omnes amat,

CONRADVS VORST.





II

ORDO DISPUTATIONIS.

VT tota Iustificationis doctrina, ad gloriæ diuinæ illustrationem & salutis nostræ certitudinē, rectè intelligatur: éademque operâ varij, quibus grauissimus hic articulus inuoluitur, errores caueantur: de his tribus ordine dicendum erit, primò de præparatione ad iustificationem: secundò de ipsa iustificatione, seu caussis illius: postremò de effectis & adjunctis iustificationis, seu statu iustificatorum. Initio tamen de vocibus Iustitiae & Iustificationis aliquid præfandum, ne vocabulorum homonymia difficultatem in ipsa doctrina pariat.

THEISIS PRIMA.

VSTITIA in genere accepta, nihil est aliud ^{Iustitia} quam cœnopia, seu conformitas cum lege: sicut ^{quid &} ex opposito peccati nihil est aliud quam cœnopia, ^{quotuplex} seu discrepantia à lege. 1. Joh. 3. v. 4. Distinguitur in cretam & increatam, quarum hec solius Dei est & prorsus ἀνινωντος: quippe quā Deus essentialiter iustus intelligitur.

II.

Creata iustitia vel est Personæ vel Caussæ. Per illam iusta censetur aliqua persona, nimirum Angeli vel Hominis. Per istam bonitas alicuius controvæcaussæ intelligitur, siue bona sit persona, siue mala.

III.

Porro iustitia Personæ alia vocatur inherens, alia imputata. A ij tiua:

tiua; quarum illa consistit in obedientia legis à nobis ipsis
præstata, & tanquam habitus seu qualitas nobis inhæret: siue
hæc obedientia ex naturalibus liberi arbitrij viribus, siue ex
supernaturali gratia Dei proficiscatur.

IV.

Imputati-
ma. Imputatiua iustitia consistit in gratiosa alienæ obedientiae
pro nobis præstata imputatione ac donatione: quæ et si nobis tā-
quam subiecto non inhæret, nostra tamen propria per imputa-
tionem efficitur.

V.

Inhærens iustitia alias vocatur legalis, seu iustitia operum,
itemq; habitualis & actualis: quia est obedientia erga legem,
nobis tanquam habitus inhærens, atq; ex actionibus seu operi-
bus bonis elucens. Imputatiua dicitur alias Euangelica, seu iu-
stitia fidei: quia in Euangeliō credentibus offertur, ijsque per
fidem in Christum imputatur.

VI.

Vniuersa-
lis. Philosophi iustitiam inhærentem (de qua sola aliquid no-
runt) subdividunt in vniuersalem & particularem. Illa est
vniuersalis erga omnes leges, quæ quidem ad nos pertinent,
obedientia; siue perfecta illa sit, siue imperfecta: de qua notum
est illud s. Ethic. Nicom. I.

Iustitia in sece virtutes continet omnes.

VII.

Particula-
ris. Particularis iustitia, est virtus suum cuique tribuens. Est
que commutatiua, seruans æqualitatem in contractibus &
commutationibus, secundum proportionem Arithmeticam:
vel distributiua, tribuens singulis personis conuenientia præ-
mia vel pœnas, secundum proportionem Geometricam. s. Ethic.
Nicom. 2.3.4. Ex quibus fontibus Iuris consulti suos riuulos
deduxerunt.

VIII.

charadri Atq; hæc de iustitia eiusque speciebus. Iustificatio genera-
tim

III

tim considerata est ipsa iustitiae applicatio: Speciem verò si de
iustitiae inherente loquamur, est effectio cuiusdam habitualis ^{Iustifica}
sanctitatis in homine, sive est ipsa sanctificatio: sin de iustitia ^{tio quid}
imputativa agamus, est gratiosa alienæ iustitiae per fidem im- ^{& quotu-}
putatio. ^{plex.}

LX.

Porro cum queritur de Iustificatione hominis coram Deo,
idem verbo Iustificandi in S: Scriptura intelligitur, quod apud
Latinos verbo absoluendi, seu iustum pronunciandi: quatenus
illud quidem actionem iudicis significat: cuius contrarium est
condemnatio. Iustificari igitur coram Deo dicitur, qui in iu-
dicio Dei absolvitur seu iustus censetur. Deut. 25: vers. 1. Si
iustificauerint iustum, & condemnauerint impium. Proverb.
17. vers. 15. Qui iustificat impium, & condemnat iustum,
uterque abominatio est Domino. Esa. 5. vers. 23. Vae iis qui iu-
stificant impium propter munera. Rom. 8. vers. 33. Quis accu-
sabit electos Dei? Deus est qui iustificat. &c. Sic apud Gra-
cos δικαιοῦντα exponitur per δικαιον τομίζειν; vel per κολάζειν,
scilicet quis iudicata causa puniatur.

X.

Operibus autem iustificari dicitur is, qui operum suorum ^{Iustific. ex}
integritate iudicio Dei respondere & satisfacere queat. Nam ^{operibus}
homo qui fecerit hec, viuet in iis. Leuit. 18. vers. 5. Gal. 3. vers.
12. At quia nemo hominum (excepto Christo) istam conditio-
nem implere potest, idcirco omnes maledictioni subiacent.
Deut. 27. vers. 26. Gal. 3. vers. 10. ideoque generaliter conclu-
dit Apostolus, ex operibus legis nullam carnem iustificari.
Rom. 3. vers. 20. nimis quia propter naturae nostrae corru-
ptionem a nobis impleri nequit. Rom. 8. vers. 3. Si enim da-
ta esset lex, que posset vivificare, verè ex lege esset iustitia.
Gal. 3. vers. 21.

XI.

Quanquam necum quidem, ubi omnia nobis in lege pre-
scripta

scripta fecerimus, aeternam salutem meriti sumus: quippe qui serui inutiles simus, & fecerimus ea tantum quae facere debuimus. Luc. 17. vers. 10. tamen quia benignissimo Deo placuit, ultrò se obstringere ad dandum vitam aeternam iis qui legem implerent, rectè vita aeterna meritum & debitum dicentur, si per impletionem legis homini obtingeret. Rom. 4. vers. 4.

XII.

Iustif. ex
fide.

Fide iustificari dicitur is, qui operum iustitiam exclusus, Christi iustitiam, id est iustitiam merito Christi partam, fide apprehendit: quam vestitus, in Dei conspectu non ut peccator, sed tanquam iustus apparet. Per fidem enim Christum induimus Gal. 3. vers. 26. 27. cuius sanguine iustificamur, quatenus per mortem eius Deo sumus reconciliati. Rom. 5. vers. 9. 10. atque ita per fidem Deus nobis imputat iustitiam absque operibus. Rom. 4. vers. 5. 6.

XIII.

I. PARS.
Status Iu-
stificando
rum.

His ita præmissis, dicendum nunc est de preparatione antecedente ipsam iustificationem. Antecedunt autem quadam ex parte Dei, quadam ex parte nostra.

XIV.

Electio &
vocatio.

Ex parte Dei antecedunt Electio & Vocatio. Nemo enim iustificatur, nisi predestinatus sit ad vitam aeternam, & vocatus efficaciter. Rom. 8. vers. 30. Quos predestinavit, eos etiam vocavit: & quos vocavit, eos etiam iustificavit. Loquitur autem de interna & efficaci vocatione: quia externa illa & generalis etiam reprobis contingit, de qua dicitur Matth. 20. vers. 16. Multi vocati, pauci electi.

XV.

Impium igitur est dogma eorum, qui contendunt omnes homines sine discrimine reipsa esse iustificatos, & per mortem Christi Deo reconciliatos. quasi nulla sit in Deo electio vel reprobatio. Huber. in thesibus passim.

Ex

XVI.

IV

Ex parte nostra (et si non ex viribus nostris) antecedunt ea omnia, quibus ad serium nostræ miseriae sensum adducimur, simulque ad expetendam Christi gratiam præparamur. Certis enim gradibus certoque ordine Deus ad fidem & iustificationem nos perducit: ita ut qui hunc ordinem diuinitus prescriptum negligunt, ad iustificationem nō perueniāt: quippe qui viam Domino parare nolunt. Esa.40.vers.3. Matth.3.vers.3..

XVII.

Gradus præparationis sunt isti. Primo requiritur agnitus peccati & miseriae nostræ ex lege Dei. Rom.3.vers.20. Nam primus ad sanitatem gradus est, agnitus morbi. Secundo oriatur pauor & horror iræ diuinæ; dum homo concione legis excitatus, seuerum Dei iudicium sibi imminere sentit. Nam lex iram operatur Rom.4.v.15. quatenus omnibus legis transgressoribus maledictionem incumbere testatur Gal.3.vers.10. Tertio sequitur quedam pœnitentia seu displicentia peccati, cum qua simul coniunctum est desiderium liberationis. Sic enim Lex est quasi paedagogus noster ad Christum Gal.3.vers.24. dum miseriam quidem nobis oculos ponit: sed modum liberationis extra se positum esse ostendit. Quartò igitur accedit ex Euangelio, cognitio gratiosæ Dei voluntatis erga omnes resipiscentes & in Christum credentes: quatenus illud testatur, Deum nobis dedisse filium suum, atque in eo vitam æternam I. Ioh.5.vers.11.12. ut omnis qui credit saluetur Ioh.3.v.16. Hinc quintò emergit confusa quedam spes impetranda venia ex misericordia Dei: cui coheret quedam etiam confusa dilectio Dei, quippe cuius immensam bonitatem homosibi in Euangelio proponi videt. Ita demum præparatus, si vera fide in gratuita Dei promissione firmiter acquiescat, eamq; sibi speciatim applicet, dicitur per fidem iustificari,

A iij Verum

XVIII.

Verum hic obseruandum, nihil esse in isto preparationis ordine, quod rationem meriti habere possit. Natura enim hominis in peccato iacentis, & prorsus ab omni bono auersi, nihil horum sine præueniente Dei gratia aut vult aut potest: sed totum pendet à gratia Dei, euocantis quidem omnes ex peccato communiter, suos vero excitantis singulariter. Antecedunt, inquam, motus quidam mentis & voluntatis ipsam iustificationem; sed donati & inspirati à Deo, qui efficit in nobis velle & perficere pro gratuita sua benevolentia. Phil. 2. 2. vers. 13. sine quo nec cogitare quicquam boni possumus 2. Corinth. 3. vers. 13.

XIX.

Falsum igitur est quorundam Scholasticorum dogma de Merito congrui: quasi homo ex naturalibus viribus possit elicere actus cognitionis peccati & ira Dei, itemq; actus diligendi Deum super omnia: atq; ita se preparare ac disponere ad recipiendam Dei gratiam: adeoque faciendo quod in se est, sequentem gratiam promereri ex congruo. In 3. Sentent. dist. 7. & in 4. Sent. dist. 14.

XX.

Falsa quoque est eorum opinio, qui gratiam sufficientem ad salutem omnibus hominibus dari contendunt: et si nos quoque fatemur, tantum naturæ virium, vel etiam communis cuiusdam gratiæ, omnibus adesse, quantum satis est ad eos reddendum apostoloyt. Bellar. lib. 2. de grat. & libero arbit. cap. 5.

XXI.

II. PARS.
Caussæ iustificationis.
Efficiens.
Sequitur de ipsa iustificatione, cuius caussæ omnes sunt ordine explicandæ. Efficiens principalis est Deus, qui solus potest iniquitates nostras delere Esa. 43. vers. 25. & qui prior dilexit nos 1. Ioh. 4. v. 10. quippe quos elegit in Christo ante conditum mundum. Ephes. 1. v. 4.

XXII.

impulsus Caussa impulsiva seu $\omega\gamma\eta\gamma\mu\epsilon\nu$ est sola Dei gratia & misericordia.

misericordia, quā motus nos elegit, & quos elegit iustificat.
Non enim ex operibus iustis quæ fecimus, sed ex misericordia
sua seruauit nos. Tit. 3. vers. 5. Iustificamur gratis ex gratia
Dei Rom. 3. v. 24. Gratuitus enim fauor & amor eius erga nos
efficit, ut unigenitum filium pro nobis in mortem traderet
Ioh. 3. vers. 16.

XXIII.

Atque hec est gratia illa gratum faciens, nempe fauor, be-
nevolentia & misericordia Dei erga nos indignos, quā nos gra-
tia gratia grā-
tū faciens.
tos sibi reddidit in illo dilecto Eph. 1. vers. 6. quæ semper oppo-
nitur nostris meritis & operibus; quum alioqui non esset di-
cenda gratia Rom. 11. v. 6. Ideo dicitur nobis hæc gratia data
ante tempora secularia 2. Tim. 1. v. 9. ne quis putet, esse gratio-
sum aliquod Dei donum nobis inhærens.

XXIV.

Errant igitur, qui hanc gratiam interpretantur nouita-
tem seu sanctitatem quandam nobis à Deo infusam; cuius re-
spectu nos contendunt iustificari, & à Deo diligi: hoc est nomi-
ne gratiae Dei non τὸ χαράγμα, sed τὰ χαρισματά τοῦ Ιησοῦ intel-
ligunt. Bell. lib. 1. de grat. & lib. arb. cap. 3. Cùm tamen Apo-
stolus id quod Rom. 3. v. 24. dixerat, hominem gratis iustifica-
ri ex gratia Dei, cap. 4. vers. 2. 4. opponat operibus Abraham,
quantumvis ex renouatione Spiritus profectis.

XXV.

Non tamen dona gratiae ab ipsa gratia diuelli mus; sed ne-
gamus ea esse caussam impulsuam nostre iustificationis. Riui-
los enim à fonte non separamus, sed distinguimus. Ideo Apo-
stolus addidit voculam, Gratis. Rom. 3. vers. 24. ut sciremus,
nullam in nobis esse caussam, quā Deus impulsus, nos ad vitam
eternam iustificet: sed totum pendere à misericordia Dei.

XXVI.

~~Causa meritoria seu wega apulun est solius Christi meri-~~
~~sum, qui solus torcular calcauit Esa. 63. v. 3. suāq; obedientiā~~
Meritoria
causa.

B

usque

usque ad mortem crucis, diuinæ iustitiæ satisfecit: cuius solius sanguis nos purgat ab omni peccato I. Ioh. 1. vers. 7. quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine eius. Rom. 3: vers. 25. ita ut in nullo alio salus sit querenda Act. 4. vers. 12. nec ullius creature merita cum sanctissimo & perfectissimo Christi merito sint commiscenda.

XXVII.

Etsi autem iustitiæ Dei plenè satisfactum est obedientiâ & merito Christi: quippe qui animam suam avilium pro multis exposuit Matth. 20: vers. 18. non tamen nostri iustificatio desinit esse gratuita: quia hoc ipsum redemtionis precium non à nobis est profectum, sed ex Dei liberalitate nobis gratiösè donatum Ioh. 3. vers. 16. quò iustitiæ simul & misericordia diuinæ gloria manifestaretur.

XXVIII.

Instrumē-
talis cauf-
sa. Instrumentalis causa duplex est, una ex parte Dei, altera ex parte nostra. Ex parte Dei est ministerium Verbi & Sacramentorum, per quod Deus ordinariè fidem iustificantem in nobis accedit & conseruat Rom. 1. vers. 16. & 4. vers. 11. & 10. vers. 17. Ex parte nostra (etsi non à nobis) est ipsa fides salvifica, quâ tanquam manu gratiam iustificantem in Christo oblatam apprehendimus, & speciatim singuli nobis applicamus.

XXIX.

Quomo-
do fide iu-
stificemur. Iustificamur enim fide, non absolute, quatenus est qualitas seu habitus ἀρσότος: sed relativè, quatenus est organum in apprehendendo & applicando suo correlato occupatum: ideo que dicimur iustificari non propter fidem, sed per fidem Rom. 3. vers. 22. Eph. 2. vers. 8. velex fide Rom. 5. vers. 1. Metonymica verò locutio est illa Rom. 4. vers. 5. Fides imputatur pro iustitia: cuius sensus est vers. 6. Iustitia absque operibus imputatur, nempe per fidem.

Errant

XXX.

Errant igitur, qui contendunt fidem iustificare per modum dignitatis aut meriti, quatenus iustificationem promeretur & quasi inchoat: ideoque absolutam vim & efficientiam iustificandi ipsi fidei tribuunt. Bell.lib.1.de Iustif.cap.17.

XXXI.

Hinc etiam liquet, fidem iustificantem esse certam animi persuasionem de promissione gratiae: quâ quisque fidelium promissionem illam sibi priuatim applicat. Hebr.11.vers.1. Gal.2. vers. 20. Per hanc enim Christus habitat in cordibus nostris Eph.3.vers.17. eamque comitatur pax conscientiae Rom.5.v. 1. & proprium eius obiectum est promissio Euangeli, in qua acquiescit Iohann.3.vers.16. et si generale fidei obiectum & quasi mensura sit totum Dei verbum: sicut specialis haec fides generalem illam notitiam & assensionem semper presupponit Heb. 11.vers.6.

XXXII.

Errant igitur, qui fidem iustificantem nihil aliud esse volunt, quam notitiam seu assensum ad omnia, quae in verbo Dei continentur: quia specialis applicatio gratiae iustificationem demum sequatur, Bell.lib.1.de iustif.cap.6.7.8. &c. At tempore illa simul sunt, licet specialis fides naturæ ordine prior sit iustificatione: si nimis de sensu illius loquamur. Nam Dei imputatio præcedit sensum iustificationis. Quem enim gratuitâ suâ bonitate Deus complectitur, illum quoq; sue bonitatis sensu afficit Rom.5.vers.5. ut de suis meritis diffusus, totam salutis summam in ipsius misericordiam reiiciat. Phil.3.v.8.

XXXIII.

Tertio hinc liquet, sola fide in Christum nos coram Deo iustificari: hoc est soli Christi obedientia, quæ non nisi per fidem nostra efficitur, coram Deo iustos censeri. Quod et si patet ex negatione alterius membra immediate oppositi, tamen evidenter causa sic demonstratur: Homo neque solis operibus coram

B y Deo

Dei iustificatur, neque fide simul & operibus. Ergo sola fide. Posterius assumti membrum ex iis locis patet, qui docent hominem iustificari fide absq; operibus Rom.3.v.28. Gal.2.v.16. ubi certum est, opera à causis iustificationis excludit.

XXXIV.

Neg^r, verò ceremonialia tantum opera excluduntur, (ut quidam solent excipere) sed etiam moralia: quod manifestum est ex ijs Scripturæ locis, quos Apostolus ad sententia sua probationem adducit. Gal.3.ver.10.12. Qui fecerit hæc, viuet in ijs. Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus. Rom.3.v.20. & 4.v.15. Ex lege est agnitus peccati. Lex iram operatur. Quæ certè omnia de lege morali dicuntur.

XXXV.

Nec altera valet exceptio: ea tantum moralia excludi, quæ litteraliter & viliberi arbitrij extra Christi gratiam faciunt homines non regeniti. Nam Apostolus etiam operibus Abrahami, Davidis & suis ipsius iustificationem adimit: quos regenitos fuisse constat. Rom.4.v.2.6. Phil.3.vers.8. Et certè opera bona excluduntur, quæ non nisi à renatis profici possunt: quum putris arbor non posse bonos fructus proferre Matth.7.vers.18.

XXXVI.

Idcirco aduersarij, vi veritatis adacti, disertè negant, gratiam iustificationis cadere sub meritum de condigno. Bell. lib. 5. de Iustif. cap. 21. Quod si est, certè sola fide iustificamur. Nam quod addunt de secunda iustificatione, planè est àπροσδίκυον: ut paulò post dicetur.

XXXVII.

Nullam quidem aliam fidem iustificam agnoscimus, quam quæ per charitatem operatur Gal.5.v.6. sed negamus fidem ab illa charitatis efficacia vim iustificandi sumere: Non potest, inquam, charitas à vera fide separari: nec tamen ad proprium fidei auctum concurrit. Non est fides sola, et si sola iustificat: sicut solus

VI

solis splendor Solis illuminat, & sola mens hominis intelligit;
et si nec ille à calore, nec ista à voluntate separatur.

XXXVIII.

Crassus itaq; est error: veram fidem reipsa posse separari à
Charitate. Bell. lib. I. de Iustif. cap. 15. quum tamen Apostolus
istam fidem appelle mortuam Iac. 2. ver. 17. Ut enim mortui
hominis cadaver non est ipse verus homo; ita nec inane fidei
simulachrum est ipsa vera fides. Et de talis fidei historica, seu po-
tius fidei iactantia, recte colligit idem Apostolus vers. 24, eā
sola neminem iustificari: nisi accedant opera, quibus vera fi-
des comprobetur.

Fides vera
non sepa-
ratut à
charitate.

XXXIX.

Nihil enim nobis commune cum blasphemia Simonis Ma-
gi, qui finxit hominibus fidei salutis quiduis licere. Nihil
cum furore Basilidis, qui eodem modo de gratia Dei est opina-
tus, Nihil cum amentia Gnosticorum, qui sola fidei cognitione
adeo se fieri spirituales putabant, ut gratiā Dei excidere non
possent, quicquid tandem perpetrarent. Nihil denique cum
Aetio & Eunomio, qui nulla cuiquam scelera obesse dicebant,
modo eius, quæ ab ipsis docebatur, fidei particeps esset.

XL.

Sequitur de materia & forma nostræ iustificationis, in
qua utraque precipuus huius loci cardo vertitur. Materialis
causa est iustitia Christi, seu iustitia merito Christi parta, seu
denique id quod Christus suā obedientiā nobis promeruit,
quodque nobis ad iustitiam coram Deo imputatur. Nam il-
lius obedientiā constituimur iusti. Rom. 5. vers. 19. qui est Ieho-
ua iustitia nostra Ierem. 23. vers. 6. qui factus nobis est iustitia
à Deo patre 1. Cor. 1. vers. 30. qui denique factus est peccatum
pro nobis, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso 2. Corint. 5.
vers. 21.

Materia de
Forma iu-
stifica-
tionis.

XLI.

Formalis causa est grata huius iustitiae seu obedientiae
B. iij Christi

Christi per fidem imputatio; vel quod eodem redit, est ipsa peccatorum remissio propter sanguinem Christi, que foliis delibus contingit. Neque enim diuelli, nec ullaratione sibi opponi possunt remissio peccatorum, & imputatio iustitiae Christi: quum solius huius imputationis respectu peccata nobis remittantur. Idcirco Apostolus quum Rm. 4. vers. 6. dixisset, cum esse beatum, cui Deus imputat iustitiam absque operibus: tum subiungit vers. 7. 8. ex psal. 32. beatos esse, quorum remissae sunt iniquitates, & quorum peccata sunt tecta, & quibus Dominus non imputat peccatum..

XLII.

Quare vel imperite admodum, vel malitiosè quidam ista duo discerpunt; ut scilicet discrepantes inde sententias Orthodoxorum fabricent. Bell. lib. 2. de iustif. cap. 6. 7.

XLIII.

Ossander. Porro hinc liquet, errasse Osiandrum: qui docuit, eam quā in iudicio Dei consistimus, esse ipsam diuinam & essentialē Christi iustitiam: non distinguens inter iustitiam Dei quā ipse iustus est, & eam quā iustificat impium: quum tamen illa iustitia, sicut ipsa Dei essentia, prorsus sit ἀνεῳωνήσις.

XLIV.

Pontificij. Deinde liquet, eos quoque errare, qui formalem nostram iustitiam contendunt esse habitualem sanctitatem nobis inherentem: confundentes ea, quæ quidem coniuncta, sed tamen distincta sunt: nempe iustificationē & sanctificationem. Bell. lib. 2. cap. 3. de Iustif.

XLV.

Iustifica-
tio & San-
ctificatio
simul sūt,
sed non
vnum. Non possunt, inquam, diuelli coniunctissima illa Dei dona: sicut prolixè docetur Rom. 6. 7. & 8. quandoquidem fieri non potest, quin ij qui Christo verā fide sunt insiti, sanctitati & iustitiae studeant. Iustus enim est, qui iustitiam operatur 1. Ioh. 3. vers. 7. nec potest bona arbor putres proferre fructus Mat. th. 7. vers. 18. Nam omnes iustificati sunt electi: at verò electi sunt

VIII

sunt ad sancte viuendum Eph. 1. vers. 4. Interim aliud est
querere, quinam sint iusti: aliud, quam ob causam iustificati.
Ita certum est, eum qui spirat aut mouetur, viuere: non tamen
spiratio vel motus est causa vite.

XLVI.

Illustre discrimen inter hæc duo Christi beneficia ostendit
Apostolus, quem de iustitia imputativa loquens magnificè glo-
riatur Rom. 8. vers. 30. et deinceps: quippe quæ sola conscientias
tranquillas reddit Rom. 5. vers. 1. at de iustitia sua inhærente
differens flebiliiter exclamat Rom. 7. vers. 24. quippe quæ in
hac vita propter carnis reliquias semper est imperfecta, ideoq;
iudicium Dei sustinere non potest. Sic idem Apostolus suam
iustitiam repudiavit, acquiescens interim in iustitia fidei Phil.
3. vers. 9.

XLVII.

Porrò et si negamus, formalem nostram iustitiam nobis tā-
quam subiecto proprio inhærere: non negamus tamen, eam do-
natione & perfidem imputatione nostram propriam effici; aut
sensus illius nobis inhærere. Diffusa est enim charitas Dei
in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis Rom. 5.
vers. 5.

XLVIII.

Rursus quanquā imputatio obedientia Christi nobis per fidē
obtingit, non tamen fides dici potest formalis causa iustifica-
tionis: quem eā tanquam Relato, non tanquam Qualitate iu-
stificemur. Nihil autem absurdierit, si quis fidem appelleat for-
malem causam hominis iustificati: quandoquidem ea dat ho-
mini iustificato suum esse & nomen.

XLIX.

Atque ut pleniū intelligatur, quomodo Christus nobis
factus sit iustitia: sciendum, non id dici propter causam ali-
quam exemplarem; quasi Christus tantum suo nobis exemplo
adiu-

Quomodo
Christus
nobis sit
factus iu-
stitia.

ad iustitiam preiuerit: sicut Anabaptistæ quidam & Pelagiani putarunt: neque etiam propter essentialē Christi iustitiam in nobis habitantem, ut putauit Osiander: nec denique propter effusionem cuiusdam habitus & qualitatis sanctæ, ut opinantur Pontificij: sed propter imputationem iustitiae seu obedientiæ Christi, quæ credentibus accepta fertur, ac si eam ipsi præstisset Rom. 4. vers. 6. quo modo satisfactio ab aliquo fideinssore præstata, debitori accepta fertur.

L.

Obedientia Christi nobis imputatur. *Est autem hæc obedientia illa Christi, quæ Patri obediens factus est usque ad mortem crucis, gustando pro nobis mortem æternam Phil. 2. vers. 8. Hebr. 2. vers. 9. Sic enim sanguis eius dicitur nos purgare ab OMNI peccato I. Ioh. 1. vers. 7. omni, inquam, originali & actuali, commissionis & omissionis. Estque sanguis Christi velut panaces ad sanandum omnes credentium morbos: sine cuius effusione NULLA fit remissio peccatorum Hebr. 9. vers. 22. Ideoque sacrificium Christi est unicum nostræ salutis fundamentum.*

LI.

Id enim nobis ad iustitiæ imputatur, quo peccata nostra sunt expiata, & remissio eorum nobis parta simulq; fauor Dei ad salutem acquisitus: sicut perspicue docet Apostolus Rom. 4. v. 5. 6. 7.

LII.

Non tamen sanctitatem humanae naturæ Christi, neque sanctitatem vitæ eius à iustificatione nostri excludimus: quandoquidem sine iis non posset nobis obedientia mortis Christi ad iustitiam imputari; sicut nec absque sanctitate diuinæ naturæ Christi. Oportuit enim hunc sanguinem Dei proprium esse Act. 20. vers. 28. itemque agni immaculati. Pet. 1. vers. 19. & oportuit ipsum pontificem esse sanctum, innocentem, segregatum à peccatoribus Heb. 7. vers. 26. Omnino igitur propter nos sanctè conceptus & natus est Christus, sanctèque per omnem vitam vixit: et si nos quoque sanctitatem naturæ & vitæ studere debe-

re debemus. Mortem verò sic gustauit pro nobis, ne nobis
eternum sit moriendum.

IX

LIII.

Neque tantum ab aeterna morte & maledictione, per hanc
Christi obedientiam nobis imputatam, liberamur: sed per ean-
dem quoq; vitam & benedictionem aeternam consequimur:
sicut diserte testatur Apostolus Gal.3.vers.13.14. Hebr.9. v.15.

LIV.

Finis summus gratuitæ nostræ iustificationis est gloria Dei,
nempe demonstratio summa ipsius iustitiae, in morte Christi
Rom.3. vers.25. & celebratio summa misericordiæ eius, in
imputatione obedientiæ Christi Eph.1. vers. 6. Subordinatus
finis est tranquillitas nostræ conscientiæ, quæ nisi huic solido
fundamento innitatur, semper fluctuabit. Rom.5. vers.1.

Finis Iu-
stifica-
tio-
nis.

LV.

Nisi igitur iustificatio nostri, eo quo dictum est modo, gra-
tuita statuatur, nec Deo illibata constabit sua gloria: quatenus
non omnis prorsus gloriatio hominis excludetur Rom.3. vers.
19.27.1. Cor.1.vers.31. Eph. 2. vers.9. nec conscientiis nostris
placida ac serena restabit tranquillitas in iudicio Dei Rom.5.
vers.1. Eph.3.vers.12. quod tamen utrumque fieri opera pre-
sum est.

LVI.

Atq; hæc de causis iustificationis. Sequuntur eius quædā ad-
iuncta & effecta. Vbi primò de certitudine iustitiae queritur:
utrum videlicet quis scire possit, se coram Deo iustum esse, eiq;
reconciliatum; an verò de gratia Dei & remissione peccato-
rum perpetuò sit dubitandum.

III.
P A R S.
Status Iu-
stificato-
rum.

LVII.

Nos ex verbo Dei asserimus, hanc esse veræ fidei naturam, Certitudo
ut priuatim sibi applicet generalem gratiæ promissionem Gal. propria
lætitia.

C 2. vers.

2. vers. 20. utque hæsitationem seu cōmœjāv omnem eiiciat
Iac. i. vers. 6. Et cūm verè credentes sciant sē credere 2. Tim. i.
vers. 12. quippe ob signati arrhabone Spiritus S. 2. Cor. i. vers.
22. testantis unā cum Spiritu ipsorum, quòd sint filij Dei Rom.
8. vers. 16. quumque impium sit, promissiones Dei incertas aut
instabiles reddere, quibus remissio peccatorum & vita æterna
omnibus credentibus offertur Ioh. 3. vers. 16. necessariò conse-
quitur, singulos fideles de præsente sua iustitia & gratia Dei
certos esse & posse & debere. Ex certis enim principiis certa se-
quitur conclusio.

LVIII.

Intolerabilis igitur est eorum error, qui nullam propriæ iu-
stitiæ certitudinem nobis relinquunt, præterquam moralem, ut
loquuntur, seu conjecturalem. Bell. lib. 3. de Iustif. cap. 2. 3. 4.
&c. atque ita salutarem Euangeliæ & Sacramentorum usum
tollunt. Illud enim testatur, nos de morte in vitam translatos
1. Ioh. 3. vers. 14. idque nos scire ex Spiritu nobis dato. 1. Ioh. 4.
vers. 13. ac monet, ut nos probemus, an simus in Christo 2. Cor.
13. vers. 5. Ista vero sunt sigilla seu σφεργίδες iustitiae fidei.
Rom. 4. vers. II.

LIX.

Neque hæc dici potest præsumptio vel arrogantia, quando
promissionibus Dei certâ fiduciâ acquiescimus. Non enim quic-
quam de nobis præsumimus, sed gratiam Dei corda nostra ob-
signantis humiliter recognoscimus: memores nostræ infirmi-
tatis & fragilitatis. Idcirco etiam dicta illa, quibus ad timo-
rem & tremorem excitamur, & carnalis securitas nobis excu-
titur, tanquam media nostræ saluti subseruientia in conspectu
habemus Phil. 2. vers. 12. 1. Cor. 10. vers. 12. Rom. 11. vers. 20.

LX.

Interim ex hac certitudine, sequitur altera illa certitudo de
iustitiae

X

iustitiae semel acceptae immutabilitate. Quum enim dona illa ^{Immuta-}
Dei sint aperientur ^{et} Rom. II. vers. 29. ita ut cum quem se- ^{bilitas iu-}
mel in gratiam recepit Deus, nunquam prorsus abiiciat, pro-
pter immutabilem suam naturam Malach. 3. vers. 6 fieri non
potest, quin finaliter in iustitia & fide perseverent, qui semel
verè iustificati, aut vera fide donati fuerint 1. Ioh. 2. vers. 19.

L XI.

Atque hinc porrò ascendimus ad certitudinem prædesti- ^{Certitudo}
nationis: quandoquidem iustificatio sicut etiam fides & per- ^{prædesti-}
seuerantia, omnium ac singulorum electorum propria est Rom. ^{nationis.}
8. vers. 30. Itaque propter immutabile Dei decretum, quicunq;
efficacem vocationem, fidem, iustitiam aliaque regenerationis
dona in se sentiunt, de æterna sui electione certi esse possunt. Vn-
de Apostolus monet, ut per bona opera nostram electionem
firmam reddamus 2. Pet. 1. vers. 10. nempe nobis: quia Deus
infallibiliter suos nouit. 2. Tim. 2. v. 19.

L XII.

Impium igitur est eorum dogma, qui negant quenquam
posse esse certum de electione sui ad vitam æternam: sicut nec
ullam finalis perseueratiæ certitudinem cuiquam relinquunt:
dum contendunt, fidem & iustitiam semel habitam prorsus
amitti posse, nec esse propriam electorum. Bell. lib. 3. de Iustif.
cap. 12. 14.

L XIII.

Fatemur quidem, dona illa Dei sæpenumero in sanctis suf- ^{Perseue-}
focari, & quasi fluctibus temptationum non raro adobrui: ita ut ^{rantiæ san-}
exiguum istorum donorum sensum retineant sicut in Davide,
Petro & aliis videre licet. Manent tamen semper, etiam in
grauissimis lapsibus, quedam fidei ac pietatis semina, quæ

C ij Spiri-

Spiritus S. suo tempore exfuscat: adeo ut impossibile sit, ele-
ctos finaliter aberrare, aut è manu Christi rapi. Matth. 24.
vers. 24. Ioh. 10. vers. 28. quia virtute Dei custodiuntur per
fidem ad salutem. 1. Pet. 1. vers. 5.

LXIV.

Aequalitas iustitiae Porrò de æqualitate iustitiae in omnibus iustificatis sciendū;
quum una sit formalis iustitia, quā iustificantur quicunque
iustificantur: omnes iustos hac ratione esse pares, quatenus om-
nes ex mera Dei gratia, nullo suo merito, iustificantur. Etsi fa-
temur, fidem & per consequens sensum iustificationis, in aliis
esse maiorem, in aliis minorem: imo in eodem etiam homine
nunc firmiorem, nunc debiliorem.

LXV.

Eorum vero error, qui in æqualitatem in ipsa formalis iusti-
tia statuunt, falsā nititur hypothēsi: quod nimur iustitia il-
la posita sit in habitu aliquo inhārente, quo accrescente vel de-
crescente ipsa quoque iustitia maior vel minor euadat. Bell. lib.
3. cap. 16. de Iustif.

LXVI.

Bona opera. Cohæret sacerdificatio cū iustificatione, ideoq; fructus iustifica-
torū sūt bona opera. Quod si est, nō possunt igitur esse caussa iu-
stificationis: siquidem odortet arborem antè bonam esse, quām
possit bonos fructus proferre. Matth. 12. v. 33. 34. Hinc scitè
dictum est: Bona opera non præcedunt iustificandum, sed se-
quuntur iustificatum. Sic enim sapienter huic fundamento
superædificandum, ut ex doctrina fidei doctrinam operum,
tanquam effectum ex caussa deducamus: quā methodo D. Paulus
in omnibus suis epistolis utitur.

LXVII.

Atque hinc intelligi potest questio de necessitate bonorū
operum.

operum. Omnia enim necessaria sunt iustificatis: quia iustus <sup>Necessitas
corum</sup> nullus est, nisi iustitiam exerceat 1. Ioh. 3. vers. 7. sicut nullus est ignis qui non caleat. Nam vera fides est efficax per charitatem. Gal. 5: vers. 6. secus erit fides mortua, ac proinde non vera Iac. 2. vers. 17. Id quod vanis illis fidei iactatoribus considerandum est, qui vocem fidei crebro in ore, non autem rem ipsam habent in corde.

LXVIII.

Non igitur bona opera facimus arbitraria, ut quidam nos calumniamur. Bell. lib. 4. de Iustif. cap. 1. sed ex doctrina fidei tantam eorum necessitatem & utilitatem deducimus, ut maior non possit saluâ veritate.

LXIX.

Nam quod bonis operibus meritum iustificationis affingitur, impium est atq. $\alpha\sigma\upsilon\zeta\eta\omega\tau\omega$. Quum enim sint iustificatione posteriores, ut pote effecta; non possunt esse meritoria eius causa. Idecirco qui sanctificationem cum iustificatione confundunt; secundam tantum iustificationem, ut vocant, sub merita operum cadere docent. Ball. lib. 5. cap. 21. de Iustif.

LXX.

Atqui non solum initium iustificationis, sed & continuus illius progressus merè gratuitus est: quia legatio illa de gratuita cum Deo reconciliatione apud fideles est perpetua 2. Cor. 5. v. 20. & Christus perpetuò manet propitiatio nostra pro peccatis 1. Ioh. 2. v. 1. 2. ideoque iustus dicitur ex fide viuere Hab. 2. v. 4. quia anima eius semper acquiescit in gratuito Deifauore, per fidem gustari solito; atq. ita spiritualiter viuit.

LXXI.

Neg. verò partialis operum iustitia locum habet in iudicio Dei, quippe qui non nisi integrum legis obseruationem admittit Leuit. 18. v. 5. Deut. 29. v. 26. Opera verò renatorum in hac vita sunt imperfecta, & quadam immundicie per mixta Esa. 64. v. 6. quandoquidem fluunt ex principiis imperfectè regen-

C. iij. nitis.

XI

**D)e imper-
fectione
opcrum.** nitis Rom. 7. sicut apparet ex lucta illa carnis & spiritus Gal. 5.
v. 17. Voluit enim Deus, reliquias carnis ad nos exercendos
& humiliandos, in hac vita remanere: ita ut nemo possit affirmare, se prorsus à peccatis immunem I. Joh. 1. v. 8. vel ad perfectionem iam se peruenisse Phil. 3. v. 12.

LXXII.

Errant igitur perniciose, qui contendunt opera iustorum
esse perfectè bona, eosq; posse legem Dei perfectè implere in hac
vita. Simuletiam calūniantur, vel saltem minus candidè in-
terpretantur: quod dicimus, legem Dei etiā renatis obseruatu-
sse impossibilem: itemq; opera renatorum, si rigidè ad normam
diuinæ iustitiae exigantur, peccata esse, quā ab hominibus pro-
fiscuntur. Bell. lib. 4. de Iustif. cap. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17.

LXXII.

Porrò et si imperfecta sunt atq; adeo impura iustorū opera,
Deo tamen placere non desinunt Hebr. 13. v. 16. Rom. 12. v. 1.
quippe qui ea acceptat propter personām hominis iā in gratiā
recepti, nec imperfectionem imputat. Opera enim nostra nullā
aliā ratione à Deo acceptantur, nisi quatenus iustitiā Christi
perfidem induti Deo placemus. Non placet, inquam, Deo per-
sona propter opera; sed opera propter personā. Sic enim respexit
Deus ad Abelem & munus eius Gen. 4. v. 4. quia ipse Deo pla-
cuit perfidem, sine qua impossibile est Deo placere Heb. 11. v. 6.
quum per eam corda purificantur Act. 15. v. 9.

LXXIV.

In summa, duo nobis errores circa bona opera cauendi sunt;
nempe ne quid in iis ponamus fiduciae, neve quid gloriae illis
adscribamus: quando nimis agitur de promerenda Dei
gratia, aut iustificatione nostri coram eius tribunali. Etsi per
ea certam nobis efficere possumus nostram electionem 2. Pet. 1.
v. 10. atq; ita corda nostra coram Deo securare reddere. 1. Joh. 3. v.
19. nempe quatenus ex effectis de causa, ex fructibus de arbo-
re, ex sensu & motu de vita iudicamus.

Quare

LXXV.

*Quare erroneum est atq; impiū eorum dogma, qui tradūt,
opera iustorū esse meritoria vitæ &ternæ: & fiduciam in meritis
nostris posse collocari: atq; adeo nos bonis operibus vitam &ternā
ex Condigno mereri, non solum ratione pacti, sed etiam ratio-
ne operum: ita nimirum, ut in ipsis operibus sit quædam pro-
portio & equalitas ad salutis &ternæ præmium. Bell.lib.5.de
Iustif.cap.3.7.16.17.*

XII

LXXVI.

*Extremæ autem dementiæ est, iactare opera supererogatio-
nis: quasi homo plus etiam bonorum operum præstare possit,
quam Deus preceperit. Bell.lib. 4.de Iustif.cap.13. Quomodo
enim id conuenit cum illo Christi pronunciato? Cùm feceritis
omnia, quæ vobis sunt iniuncta, dicite: Serui inutiles sumus:
quod debuimus facere, fecimus. Luc.17.v.10.*

LXXVII.

*Quòd verò sancti interdum suam innocentiam & integri-
tatem cor am Deo prædicant: id non faciunt in eum finem, ut
iustitiæ suorum operum nitantur in iudicio Dei (tum enim ad
solam Dei gratiam configiunt. Psal.130.v.2. & 143.v.2. Da-
ni.9.v.18.) sed vel loquuntur de iustitia suæ causæ, quam
contra aduersarios demonstrare cupiunt. Psal.7.v.9. & 18.v.21.
vel à fructibus suæ fidei consolantur se de gratuita adoptione,
acquiescentes interim in unius Dei auore & misericordia.2.
Reg.20.v.2. Tim.4.v.7.8.*

LXXVIII.

*Præterea quod bona opera nostra remunerationē à Deo per-
cipiunt, & promissionē habēt mercedis amplissimæ, tum in hac Remune-
ratio bon.
tum in futura vita: non sit quia ita merentur: sed quia diuina
benignitas illa ex mera gratia acceptat, & pretium iis liberali-
ter statuit.1.Tim 4.v.8. Esa.55.v.1.*

LXXIX

*Quoties igitur Scriptura innuit, bona fidelium opera caus-
sas esse,*

fas esse, cur illis Deus benefaciat. Matth. 25. v. 34. 35. 36. Gal.
6. v. 7. 8. 9. 2. Thess. 1. v. 5. 6. 7. Apoc. 3. v. 4. sciendum, eatenus
esse causas, quatenus Deus ex prioribus suis gratiis causam
sumit addendi secundas. Non enim cause dicuntur propter
merita; sed tantum propter seriem seu ordinem antecessionis:
quia quos Deus vult glorificare, eos prius iustificat, & sancti-
ficat: ne scilicet impuritas glorificationi obstat. Eph. 5. v. 25. 26.
27. Hinc scitè Angustinus, Deus, inquit, opera manuum sua-
rum in nobis coronat.

LXXX.

Atq[ue] hac est summaria doctrina de gratuita nostri iustifi-
catione coram Deo: quantum demum grata nobis erit & acce-
pta, quum se quisq[ue] reum sistet coram celesti iudice; & de sua
absolutione sollicitus, ultrò se prosternet atq[ue] exinaniet: con-
sideratà nimirum diuinæ iustitiae perfectione, suaq[ue] iustitiae
imperfectione, imo suorum peccatorum multitudine ac graui-
tate. Job. 4. v. 17. 18. 19. & cap. 15. v. 14. 15. 16. Psal. 19. v. 13. Esa.
33. v. 14. 15. Sic enim serio nostræ miseriae sensu consternati, ad
Christi gratiam recipiendam rectè preparati fuerimus. Con-
trà qui vel propriæ iustitiae opinione turgent, ut Phariseus ille
Luc. 18. v. 11. 12. vel vitiorum dulcedine inebriati, iudicium
Dei securè contemnunt, quales describuntur Rom. 1. v. 32. illi
misericordia Dei aditum præcludunt.

F I N I S.

IIIYXXI



Umg. VI 45

ULB Halle
002 379 767



3

s. b.

WNA



OF THE GUTHENBERG BIBLE

THE OSUL MAGNA.

TRIUMPHALIS VERSUS.


IN TRIBU INTRABIT TYPUS ANTE PROPHEMING
DEDETUR HIC PAPAE
QUOD FUIT DOMINUS HOC EST
DOMINUS IN HOC OSUL DE LAORHEUM
VITRUM UNICUM PROPERAT
ET TUNC TERRA CANTABILIS
VITRUM TERRA CANTABILIS

IN DIE LUNESTAN
VITRUM TERRA CANTABILIS

IN HOC TERRAM SORPRESA
VITRUM TERRA CANTABILIS
VITRUM TERRA CANTABILIS

IN HOC TERRAM STERNA
M.O. M.P. I.

TERRA TERRA
TERRA TERRA
TERRA TERRA



B.I.G.

